

*uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*» *Libera nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur, hospes induceretur in tectum, nudus vestiretur, infirmus visitaretur, clausus carecre haberet solatium colloquentis. Sed ex hoc, quod sequitur: »Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis«, non mihi videtur generaliter dixisse de pauperibus, sed de his, qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum dixerat: »Fratres mei et mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.«<sup>1)</sup> In hac vero sententia admonet B. Benedictus generaliter principes et subjectos, maxime tamen subjectos. Ait enim: *Ante omnia et super omnia infirmorum cura adhibenda est.* Attendendum est: cum non reperitur in regula, ita conjunctum dixisse, sed solummodo aut *ante omnia*, aut *super omnia*, hic vero conjunctim dicitur *ante omnia et super omnia*, datur de infirmorum cura intelligi, ut ante omnia debet esse et major quam omnia, quia in his duobus maxime continetur regula, i. e. in custodia infantum et in cura infirmorum. Nam possunt esse *ante omnia* et non *super omnia*, et *super omnia* possunt esse et non *ante omnia*. Et possunt etiam esse *ante omnia*, eo quod possunt alii incipere aliquid operis, et tamen intermittitur illud opus in primis coeptum et incipit aliud et perficitur. Illud vero quod in primis coeptum est, perficitur postea aut certe non perficitur. Et possunt esse *super omnia* et non *ante omnia*, v. gr. sicut diximus superius. Et iterum, sicut diximus, possunt esse *super omnia* et *ante omnia*; v. gr. incipit aliquid operis homo agere et [tamen] non incipit aliud agere, quam<sup>2)</sup> illud primum perficiat, eo quod plus quam omnia diligitur. Per hoc quod dicit duo, i. e. *ante omnia* et *super omnia*, vult S. Benedictus, ut antequam cetera, cura infirmorum fiat, et *super omnia*, i. e. cum majore dilectione et diligentia atque studio, quam cetera. Istud*

<sup>1)</sup> cf. Migne, tom. 26. col, 190.

<sup>2)</sup> priusquam (?).